

SCRIPTA

Numéro Scripta : 4057

Auteur(s) : Renaud de Dammartin, Boulogne (comte)

Bénéficiaire(s) : Philippe, fils du roi Philippe II Auguste [autre]

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1210, mai

Lieu d'émission : Saint-Germain-en-Laye

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Renaud, comte de Boulogne, notifie un accord fait avec Philippe [II], roi de France, contenant les conditions du mariage projeté entre sa fille Mathilde et Philippe, fils du roi.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Hardel (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 177, p. 29 et p. 296-297.

Texte établi d'après a

Ego Renaudus, comes Bolonie, notum facio universis, presentibus et futuris, quod ego Philippo, filio karissimi domini mei Philippi, illustris Francorum regis, propter conventiones que erant inter me et eundem dominum meum regem, super maritaggio ejusdem Philippi et Matildis, filie mee, dedi et assignavi totam terram meam quam habebam in Caeto, tenendam et possidendam, excepta Insulabona cum pertinentiis ejus et excepta terra de Alisiaco cum pertinentiis ejus, quas retineo, tali modo quod predictae terre de Insula bona cum pertinentiis suis et terra de Alisiaco cum pertinentiis suis appreciabantur cum precio rationabili, et ego teneor reddere domino regi valorem illarum, unam medietatem videlicet ad quindenam Pasche, et alteram medietatem ad festum sancti Remigii singulis annis. Preterea dedi eidem Philippo totum comitatum Albemarie, sicut illum tenebam, possidendum, et retineo terram Sancti Richarii, que fuit Rogeri de Mortuomari, et domum cum pertinentiis ejusdem, et quodcumque dominus meus rex Francorum Philippus volet, si se non teneret pro pagato de hiis partibus, poterit reverti ad priores conventiones factas super maritaggio dicti Ph., filii sui, et Matildis, filie mee, sicut continentur in cartis que exinde sunt conscripte, et ego teneor illas prosequi domino regi, quando exinde me requisierit, si de predictis se non haberet pro pagato, sicut dictum est. Ego quoque, si vellem, ad easdem priores conventiones possem reverti, sicut scripte sunt in cartis super maritaggio illo factis, et dominus rex michi tenetur illas prosequi, quando eum inde requirerem. Et sciendum est quod, si dictum assignamentum quod feci predicto Philippo amplius valeret quam divisum sit in prioribus conventionibus et in cartis exinde factis, tantum minus pagarem de eo quod pagare teneor ad terminos qui predicti sunt de valore terrarum de Insula bona et de Alisiaco cum earum pertinentiis. Quod ut firmum habeatur et stabile, presentem paginam sigilli mei munimine roboravi. Actum apud Sanctum Germanum in Loia, anno gratie M° CC° decimo, mense maio.